

accessoriae patulae, persistentes (5-7). Calycinæ squamæ aliae trigonae, sublanuginosae, spinulosae (12-14). Semen striis (7-8), longitudinalibus praeditum.

956. *CREPIS stricta*. Tab. 47.

DIAGN. *Folia ima cichoriacea, superiora basi laciniata.*

Habitat circa *Duinum*.

Radix multicaulis. Caules pedales fere, ramosi, glabri, teretes, lineam ad basin crassi. Folia ima sinuato-dentata, villosula; superiora ad basin laciniata; suprema integerrima. Calycinæ squamæ accessoriae, caeteris adpressae, nec patulae (3-5). Calyx glaber, tres lineas longus, divergens, squamis constans (10-12). Semina flosculi flavi, multi. Calycis figura et thalami glabrities remonent Plantam a genere *ANDRYALAE*.

An haec *Crepis pulchra* LINN. certe sub hoc nomine exstat in Herbario Ill. a MYGIND. Hinc *Crepis mea secunda* foret alia.

314. HEDYPNOIS.

LEONTODON Ill. LINNAEI complectitur plantas, quibus feminum pappus stipitatus et simplex, et iterum alias quibus idem sessilis et plumosus. Hanc confusionem, ut evitarem, ex uno genere, bina constitui, quorum unum *HEDYPNOIS*, aliud *LEONTODON*. Illius character est Calyx et basi apice dilatatus, constans squamarum ordinibus tribus; intimo duplo longiore. Semina pappo stipitato simplici terminata, Receptaculum convexum, alveolatum, glabrum.

957. *HEDYPNOIS Taraxacum*.

Leontodon calyce inferne reflexo; foliis runcinatis; denticulatis, laevibus. LINN. *Syst. Nat.*



966. *Crepis stricta*.